

Scriptis quoque inclaruit (22), e quibus nomino tantum istud, quod opposuit *Calvinianorum* strophis (23), quas tam ingenue, quam ingeniose dissolvit. Id tamen reticere nequeo, quod magnus Theologus, *Ioannes Hülsemannus*, qui certe non legumina, sed ipsos in scriptis suis, magno utique in pretio habendis, dedit nucleos, eum sibi adsciverit generum, quo honore forsan non fuisset auctus, si tanto arbitro praestantia eius cognita haud fuisset atque perspecta. Pergo ad IOANNEM BOTSACCVM, quem dum Hervordiensis, in qua primam aspexit lucem, Gedanensi donavit civitati, maius ei ornamentum dare vix potuisset. Celebris ille est Doctoris Theologiae, Athenaei Rectoris, Theologiae ac linguae Hebraeae Professoris, aedis sacrosanctae Trinitati dicatae, & templi summi tandem Pastoris, ordinisque sacri Senioris, insignibus: celebrior multis eruditissimis ingenii foetibus, quibus varias magni momenti doctrinas sacras optime excusit, ab Hunniis idcirco, Scherzeris, aliisque peritisimis praeconibus, laude affectus: celeberrimus potissimum iis, quibus illibatam religionem adversus *Pontificios, Zwinglianos, Socinianos, Anabaptistas, Syncretistas*, fortiter defendit (24. Adiungo huic statim **BAR- THOLDVM**

(22) Vid. Athen. Lubec. P. I. p. 274, ubi dedi etiam ex ipsius *Disputationis Theologicae de Conversione Hominis* Dedicatione verba, quibus concessum sibi Stipendium Schabbelianum gratissimus praedicat.

(23) Inscribitur: *Gründlicher Beweifs und Vertheidigung etzlicher nothwendigen Klagen, so die Lutheraner wider die Calvinisten führen, einem Calvinischen Büchlein, welches vor etzlichen Jahren ohne Nahmen des Authoris und Benennung des Orts ausgangen, dieses Tituls: Klag und Antwort, das ist, gründliche Beantwortung der Klägten, welche die genannten Lutherische wider die Reformirten führen. Daraus zu vernehmen, was der Reformirten eigentliche Confession sey? zu dieser Zeit, da man der Streitigkeiten müde ist, erbaulich zu lesen, entgegen gesetzt. Lips. 1660. 4. Conf. GEORG. HENR. GOETZII Biblioth. Anti-Calvin. Presbyt. Lubec. Clarorumque Lubecens. §. 23.*

(24) Breviter hic dicta copiosius, vna cum aliis, enarrantur in **CHRISTIAN. OMVTHII**